


05
A
2401



DISPUTATIO

De

ANIMA RATIONALI

Deo ducente & docente

Consensu amplissimi collegij Philosophici in inclita VVitebergensem Academiam
publicè proposita.

PRAESIDE

M. ANDREA HAFNERO,
Ratisponensi

RESPONDENTE

ERASMO ZOLNERO
RATISPOENENS

Habebitur disputat. ad 1. Mart. in Auditorio Majore
Theologorum horis à sextâ matutinis.

WITEBERGÆ,
Typis Martini Hencelij, Anno Christi

M. D C. VI.

VIRIS
MAGNIFICIS, NOBILISSI-
MIS, AMPLISSIMIS, PRVDEN-
tiſimis, Consuli & Inclito Senatui libera & im-
perialis Ratisponensium civitatis.

N E C N O N
Reverendissimis, clarissimis, humanissimis
& doctissimis

Dn. LEONHARTO HUTTERO,
S.S. THEOLOGIAE DOCTORI, ET PROFES-
sori Publico in almâ hac Leucoreâ.

Dn. IOHANNI OBERNDORFE-
RO, PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ
Doctori, & Illustriſ. Principis PHILIPPI LUDOVICI
Palatini &c. Medico & Consiliario peritissimo.

Dn. NICOLAO GALLO,
Reipublicæ Ratisponensium Archigrammatæo
olim vigilansimo.

Dn. M. OTHONI GRYPHIO,
GYMNASII RATISPOENEISIS RECTO-
ri & Moderatori dignissimo.

Dn. M. ÆGIDIO WEICHSELBERGERO,
eiusdem Gymnasij Collega & solertissimo.
Dominis Mæcenatibus, Promotoribus, Fautoribus & Pra-
ceptoribus suis, singulis & universis eius audiorum
colendis

In Mentis grata tesseram has de Mente humana po-
ſitiunculas dicit atq; consecrat

Respondens Author.



DOMA.

THESES.

Vintricatum ac plenum obscuritatis negotium est Animam naturam per scrutari teste Scaligero Exer. 307. seit. 2: ita Majestatis & utilitatis abundans opus est, divinam illam vim, quam vivimus, sentimus, movemur & intelligimus, scrutari & rimari, adeo ut post Dei ter Optimi Maximi & Angelorum doctrinam, haec de Animâ nulli dignitate ac præstantiâ cesserit, id quod vlex sequentibus Sole Meridiano clarius patet.

II.

Primo enim si universalis Animæ Theoria optima & certissima est scientia, uti Arist. ait lib. 1. de Animâ c. i. t. 1. & 2. utiq. etiam pars quasi cuiusdam & gradus ejus præstantissimi, rationalis scilicet optimo jure titulo hoc insignienda.

III.

Et certè uti homines sumus & juxta Aristotelis effatum 1. Metap. c. i. t. 1. Πάντες δέ εἰδέναι φύσει τοιούτην φύσην, ita eorum qua intellec-
tum nostro rimari aliquo modo possumus & quorum certitudo nos non fallit, mirabilia sunt, sumus cupidissimi. Hoc qui negaverit se
hominem esse obliviscetur.

IV.

Deinde ille ferè Philosophorum mos est & consuetudo, ut non ad quasvis difficultates cœdiant, sed sibi propria cupiunt esse Philosophi, tum hoc diligenter rem subtilitatibus intricatam investigant & expendunt, ut aliis palmam precripiant.

V.

Iam verò talis est contemplationis hujus difficultas, ut

merito inter Libros Acroamaticos Aristotelis (qui ut nomen arguit , ab ȝ singulari auscultatione intelligi nequeunt) referri posse sit monente Zab. lib. de Nat. Scientia & Conſt. c. 12.

VII.

Deniḡ nihil æquè aureum illud γνῶθι σέαντον nobis inculcat , in ejusq; cognitionem deducit , ac anima , & præsertim rationalis contemplatio : uti censem , Cicero lib. 1. Tusc. quest. & Plotinus lib. 3. Ennead. 4.c. 1.

VIII.

Praclarè igitur nobiscum agi persuasum habeamus , si id , quod sumus , aliquatenus tantummodo , si exactè non licuerit , noverimus , ad cuius cognitionem sanè etiam nos hortatur , Zab. lib. de Mente hum. c. 1. & Piccolom. in Proemio in lib. de eadem . Quinimo D. Augustinus 2. de ordine c. 8. assert , duas esse præcipuas in Philosophia questiones , unam de Animâ , alteram de Deo .

VIIII.

Vt autem cognitio animæ nostræ solida atq; perfecta in hac vita à nemine quisquis etiam ille fuerit , expectari nec potest , nec debet , dum secundum Scalp. Exerc. 307. similes sumus noctu aut vesperilionis meridiano tempore quam maximè cœctientium ; aut vulpecula à ciconiâ elusa , vitreum vas lingentis & pultem non attingentis : Ita non speramus quenquam fore omnium , qui à rebus exterioribus deus ex morosis à nobis exigere velit .

IX.

Interim tamen mediocris aliqua & imperfecta cognitio , quæ ex operationibus , vel accidentibus ejusdem per sensus hanc a (τὰ γνώσης τὸν εἶδόν τε τὸν περιεπικούσαν) & à priscis Philosophis consignata est nobis jam sufficiat , quorum vestigia , imprimis autem Aquila Philosophorum Aristotelis legentes , infantiles hasce de re arduâ conscripsimus postiunculas .

X.

Hic statim in vestibulo occurrit questio aliqua inter Philosophos

phos probè agitata, nullo modo nobis silentio prætereunda; Ad quam
nimirum Philosophia & partem animæ rationalis Theoria pertineat?
Et certè uti Philosophus ait 2. Eth. Nicom. c. 6. Τὸ ἀμαρτίαν μὲλα-
χῶς δῖ. Τὸ δὲ ναπέθεν μοναχῶς. Διὸ καὶ τὸ μόδον περιστον, τὸ δὲ χαρακτέρον. Πάρον
ιδίῳ τὸ διπλοχεῖν & σκοπεῖ, καλούεται δὲ τὸ διπλοχεῖν.

XI.

Tres autem hic potissimum reperiuntur opiniones. Alij e-
nīm considerationis hujus causā medianam quandam constituunt di-
sciplinam, in quā doctrinam de animā pertractari volunt rationali,
cujusmodi sunt Philop. 1. de ortu & interitu, Simplicius & Themis-
tius initio Phys. item Boëtius in suo Prolo. ad Isag. Porph. Alij ad
solam Metaphysicam relegant. Alij deniq; ex aſſe in Physicis pertra-
ctari volunt. cujusmodi sunt Alexan. ad initium Meteor. & Averr.
2. Phys. com. 26. & 1. de part. Animal c. 1. & inter recentiores Tole-
tus quæſt. 2. Proem.

XII.

Ceterum, uti non inconveniens est, rem unam eandemq; in
diversis disciplinis posse considerari, dummodo juxta modum con-
siderandi ad unam aliquam propriissimè restringatur: Ita & hic te-
nendum, duplices esse considerandi modos animæ.

XIII.

Vno modo prout unitur corpori, & in eo functiones suas admi-
nistret: Altero modo prout secundum attributa consideratur, qua
ipsi à materia separata & competunt, cujusmodi sunt, esse definitivè in
loco recipere species ex influxu superni luminis, intelligere sine re-
curſu ad Phantasmatā, aliaq; consimilia, qua abſt. ſidei lumine in-
telligi nequeunt.

XIV.

Verū nō secundum modum partim Metaphysicis, partim
Theologis competentem relinquente, primum tantum assumimus ac
juxta illum in Physicis considerari dicimus. Quodquid mōra habemus
Aristotelem nostrum lib. 1. de part. Animal. c. 1.

XV.

Ad rem ipsam nunc accedimus initium facientes à variis animæ appellationibus. Est enim ὡνομαζεῖσιν πεῖσιν virorum sapientum. Et ut Arist. in Top. præcipit. διὰ πεῖστον τὸ τέλος Φύσης οὐ γενόμενον εἰπεῖσται γεν., εἰς τὸ οὐδῶς διδάσκειν. Variis nominibus autem pars illa hominis nobilitissima à Latinis, Gracis, & Hebreis exprimitur.

XVI.

Latinis dicitur 1. Animus, 2. Anima, 3. Mens, 4. Spiritus, 5. Ratio. Quamvis etiam appellations haꝝ propriè loquendo aliquatenus inter se differant, quas tamen differentias brevitatis memores lubentes omittimus: Piores due appellations utræq., ut & quarta ventum aliquem significant, & quod piores due græco vocabulo exprimunt, dum juxta derivationem græcam εἴουσι, τὸ δὲ αὐτὸν dicuntur, illud vocabulum Spiritus origine latinâ representat. Mens secundum quosdam ab eminendo dicitur, secundum alios vero à μνάσει quasi meminens.

XVII.

Gracis non minus sunt eleganter vocabula, quibus essentialiter illam hominis formam aptissime exprimunt. Dicitur enim, 1. ψυχή, διατὴν αὐτονομὴν κατάψυχην δῆλος εἰς ψυχὴν quod spirare significat, 2. πνεῦμα quod eiusdem est significationis, 3. νῆστος δῆλος εἰς νοέσθιον ab intelligendo, 4. ψυχής, 5. Φύσης: quæ itidem animam rationalem denotant.

XVIII.

Præter alias in lingua sancta appellationes, quibus hominis formam essentialē indigitare solent Hebrei hac non inelegans videuntur, dum eam ψυχή vocant, id est, animam, vel spiritum à radice ψυχή id est animatus est, respirando respiravit, uti usurpatur in Exodus c. 21. v. 23. Ut & illa, quæ habetur Ecclesiast. 12. v. 7. dum animam hominis intellectivam נַפְשׁוֹ id est, spiritum appellant. Et hoc de variis animæ appellationibus. Ad rei definitionem rectā transibimus.

Cum

XIX.

Cum omnis à rectâ ratione suscepta de re aliquâ disputatio debeat à definitione profici, ut intelligatur id, de quo disputatur, monente Cicerone 1. Off. vere ḡ definitio μετάνη έχει τὸ εἴδος τὰ εἰδώλα. 1. Eth. c. 7. & sit δέχεται πάντων, 2. Post. Cont. 72. Meritò definitio antecedat veluti lumen ad singula illustranda, doceat quid quaq. res commune habeat cum ceteris, quid sibi proprium & peculiare, sic ḡ naturam cuius ḡ suis finibus circumscribat, hortante Fonsecalib 1. Inst. Dial. c. 4.

XX.

Definimus igitur animam rationalem hunc in modum: Animarationalis est actus primus Corporis humani potentia vitam habentis incorporeus ac spiritualis, homini suam essentiam ac operationem propriam tribuens.

XXI.

Vt autem ex ceteris bona definitionis virtutibus etiam hac non est infirma, ne nimirūm, monente Aristotele 6. Top. 3. quædam τυπολογία vel τεισολογία committatur, sed quod Damascenus c. 8. Dial. præcipit: Τέλος δέ τούτος ἐστιν ὁ αὐτοτρόφων θεός τὸ οὐρανόν, νὴ γάρ τοῦτο δέ τούτο μηδὲ λατέρνη, μή πελεούσθη. Quo in genere siulla alia est, hæc sanè præsens definitio habeatur, quippe cuius vix unica particula sùa peculiari nongaudet emphasi, ut ex sequentibus patet.

XXII.

Dicimus in definitione animam rationalem actum sive ἀντιλέξεων, Aristotelem secuti 2. de Anima cap. 1. Tex. 6. & hoc quidem esse genus convenientissimum, ex sequentibus manifestum exit. Quicquid enim in toto Mundo consistit illud est vel substantia vel accidens. Atqui anima accidens non est, 1. quia nullum accidens substantiam potest constituere, uti anima hominem constituit. 2. Omne accidens abest præter subjecti destructionem: Atqui sublatâ animâ Homo nihil nisi cadaver est. Ergo

accidens

accidens esse nequit. 3. Anima præstantissimarum operationum causa primaria est, uti Iavellus lib. 7. de Ani. quæst. 1. inquit, quod de accidentibus affirmare nobis esto religio. Erit ergo substantia.

XXIII.

Repudiamus hic statim eos, qui animam inter accidentia referre solebant, eamq; vel numerum sémel ipsum mouentem; vel harmoniam; vel motionem; vel optimam omnium Elementorum neq; oꝝ statuebant, hoc forsitan innixi arguento: Quod in alio inest ut in subjecto, est accidens. Anima inest corpori ut in subjecto Arist. 2. de Ani. c. 2. Ergo est accidens.

XXIV.

Sed respondemus, Animam non inesse alteri, ut accidens, sed eo in esse modo, quo pars toti, principium principiato, & incompleta substantia completa inest. Galeni dogma quod attinet, dum nimirū animam temperamentum vocavit, notandum quod in suis scriptis animæ essentiam investigare voluerit ita exacte, ut solent Philosophi, preserrim cum Medicus non tam operationes animæ & functiones sibi propositas habet, quam ipsius animæ essentiam; Vnde ipse Galenus lib. 9. de Morb. vulg. com. 5. inquit. Medicis supervacanciam de animæ substantiâ notitiam esse arbitor.

XXV.

Si ergo anima substantia est, erit vel materia, vel forma, vel compositum, quia tot modis substantia dicitur apud Arist. 2. de Ani. c. 1. t. At materia esse nequit; siquidem illa 1. non constituit ratione per se, unde principium passivum dici consuevit: At qui anima largitur homini suum ratione, & est principium activum quod ex operationibus ipsius maximè est manifestum. 2. Materia tantum est Ens in potentia. Anima vero est Ens actu, immo dicitur in definitione ipse actus.

XXVI.

At forsitan erit compositum? Sed ne hoc quidem. Nam si compositum est, loquimur autem hic de composite Physico, non Meta-

physico

physico ex essentiâ & potentia constante. Omnia enim quæ sub Deo, composita sunt, inquit Scalig. Exerc. 35. s. 12. & comm. in lib. Hippocr. de Insom. f. 10.) aut constituitur ex animâ & corpore, aut ex materia & formâ.

XXVII.

Sed utrumq; de Anima dici nequit nisi in turpissima incurrere velimus absurdâ: Non prius, quia compositi naturalis principium potius est, & rationalis anima quæ pars est corporis humani, esset ipsissimum corpus humanum, quo quid absurdius sit, haud video: Non posterius, quia sic illa forma, quæ hominis forma est, informaretur ab alia superveniente formâ quæ esset sine materia, imprimis autem anima intellectiva meritò immaterialis dicitur, quia immaterialia recipit, ut Augustinus omnem eidem materiam denegat. Relinquitur ergo illam esse formam quæ aliás cōsiderat ex actus aut perfectio nuncupatur, quidquid vel h̄ic Casmannus lib. 1. Psychol. c. 2. Quæst. 3. philosophetur.

XXVIII.

Cum autem actus ille tūm apud Aristotelem tūm etiam Zab. lib. 2. de primâ Materiâ c. 3. ut & alios Peripateticæ Philosophie & alumnos communiter dividi soleat in primum sive substantialem, materiam informantem, & secundum seu accidentalem è priori ortum, ipsamque operationem concernentem, & vero, uti superius demonstratum, anima rationalis in censum accidentium referri nequeat, patet illam esse non immeritò actum primum. Est enim anima revera hominis perfectio, & per eam homo compositum quoddam est & subsistit, quod idem etiam Arist. 2. de An. c. 1. T. 6. probat.

XXIX.

Posuimus prætereâ in definitione actum primum corporis humani, quia anima rationalis illud tantum informat, nego, hoc quare videbatur vocabulum illud, organicum, siquidem ratio in administrandis suis functionibus non utitur organis corporis, & uti

Zabarella lib. de Mente humana c. 15. ait : immisionem cum organo in definitione ponere non oportet, quoniam hac necessario alteram immisionem sequitur tanquam proprietas.

XXX.

Est actus incorporeus atq; adeo etiam immaterius ut supra dictum. Hoc enim præter authoritatem Aristotelis 2. de An. c. 1. T. 4. sequentes evineunt rationes. 1. Si esset corporea, tunc alia corpora materiata non intelligeret, quia illud quod aliquid cognoscit, à natura ejus quod percipitur, denudatum esse oportet, quoniam intus existens prohibet cognosci ea quae reverâ sunt. Arist. 3. de An. c. 4. T. 4. 2. Nullum corpus simul potest esse in eodem loco, cum alio corpore; Ratio est, quia natura ab hac penetratione duorum corporum abhorret. At anima una cum corpore in eodem est loco, quia videmus, in quo est corpus aliquod vivum per additam sibi animam, operationes animatas exercere atq; adeo eodem loco presentem esse.

XXXI.

Dannamus hac Thesi omnes illos qui animam corpoream statuerunt, puta Cleantem, Chrysippum, & ferè omnes Stoicæ Familia Alumnos, & in lege veteri Sadduceos. His se se adiungebant in primis Ecclesiæ Patres aliqui, puta Tertullianus in libro de Anima & carne Christi, ut testatur D. August. lib. 1. de Gen. ad lit. c. 25. & lib. de hæres. c. 86. & in Epist. 157. ad Optatum. Tertulliano se se adiungebat Apollinaris Alexandrinus, uti refertur lib. 5. Hist. Trip. c. 44.

XXXII.

Spiritualis est anima nostra, quia actus cognoscendi nonnulli sunt spirituales in nobis, id est neq; ex materia constantes neq; à materia subjective dependentes. Ergo & potentia illos immediatè elicens spiritualis erit, & consequenter substantia, unde talis potentia manat, istidem spiritualis. Vt rā consequentia per se nota est in Philosophia, siquidem uti D. Dionysius c. 11. de caelesti Hierarchia sapienter annotavit, operatio cognitionem potentia operantis sequitur, potentia vero naturam id est substantiam, unde effluxit.

Assumptum

XXXIII.

Assumptum probatur, quia actus & objectum sibi invicem proportione respondent. Cum igitur humana cognitio ad objecta spiritualia terminari posset ac debeat, erit planè talis cognitio spiritualis, atque à materia conditionibus quoad fieri potest immunis. Et ita etiam senserunt omnes fratres Orthodoxi Patres in primitiva Ecclesia, nempe D. Ambrosius, Augustinus, Gregorius Nazianzenus, Gregorius Nyssenus, & alij complures.

XXXIV.

Vtima definitionis verba differentiae loco apposuimus, ut nimis ratione anima rationalis à vegetante & sentiente differetur, siquidem hæc homini suam essentiam atque operationem propriam attribuit, à brutis animalibus distinguit, hominemque reverâ quâ talis est, constituit, quod de reliquis duabus afferere velle longè erit inconvenientissimum.

XXXV.

Iusto diutius forsitan in definitione ejus quæ immorati videbimur: scio tamen nos delicti veniam facile impetraturos ab iis, qui bus notum illud Arist. 8. Top. 3. difficultem esse omnem disputationem, nisi id, de quo ea instituitur, recte definitur, & 2. Post. c. 3. T. 7. οὐρανὸν εἴναι τῆς σοιας γνωστού. Ad reliqua nunc contendimus.

XXXVI.

Ceterum post definitionem omnium primò sese offert questio illa haud vulgaris: An videlicet Anima hominis sit ejus forma informans vel assistens. Circa hanc questionem varie nobis erunt difficultates excutienda, quæ nobis hinc inde moventur.

XXXVII.

Primum locum sibi vendicant illi, qui animam rationalem formam hominis assistente statuunt, nempe Plato in Alcibiade, Anaxarchus Philosophus, Simplicius lib. 1. hujus operis T. 7. Philop. T. 11. Themist. lib. 2. cap. 27. & lib. 3. cap. 30. imprimis autem Averroës lib. 3. com. 5. Rationes & argumenta ipsorum quibus sententiam

suam mordicus defendere conantur, consulto preterimus thesum
memores, nihil addubitantes, quin hec in ipso ou[n]t[er]ius cursu mo-
veantur.

XXXVIII.

Nos in contrarium potius sententiam abilimus, veramq[ue] homi-
nis formam informantem animam rationalem statuemus, his potissi-
mum innosci fundementis: 1. Id vera est cuiusq[ue] rei forma quod rem
certa specific constituit & ab aliis sejungit: Atqui hoc facit anima
rationalis. Ergo est vera forma hominis. 2. Si anima non est for-
ma dans esse homini, vel est una numero in cunctis hominibus vel
sunt singula in singulis, ita ut ab initio certus animarum numerus
conditus sit, quod utrumq[ue] absurdum est. 3. Natura specifica cu-
juslibet rei ex propriâ operatione innotescit. At forma innotescit ex
operatione propriâ. Ergo est natura specifica.

XXXIX.

Faventem habemus Aristotelem nostrum, qui, dum docuit
omnium mortalium animam nullâ exceptâ esse formam verè infor-
mantem materiam, & constituentem animata corpora sub genere,
corpo naturali, non certè animam humanam exclusit, uti pluribus
de codem demonstrat acutissimus Zab. lib. de Men. Hum. c. 7.

X L.

Alteram difficultatem movere nobis Philosophi quidam recen-
tiores conantur, & imprimis Casmannus lib. Psychol. c. I. Quæst 1
& 2. qui aliquot argumentis demonstrare nititur, animam non esse
formam informantem hominis, sed unionem animæ & corporis, qua
brevitatis gratia hic recensere noluimus.

X L I.

Verum nos illius rationibus nihil moti, receptam adhuc tuebi-
mur opinionem, pro solutione interim generali hoc opposentes: ani-
mag rationalem dupliciter considerari posse, vel prout est forma ho-
minis alteram partem constituens, vel prout est spiritualis substanc-
ia sine corpore post mortem existens.

Tertio

X L I I .

Terò inveniuntur nonnulli, qui dum brutis animantibus etiam intellectum attribuunt, evincere volunt intellectum non esse hominis formam. Ex iis igitur sunt Prophyrius lib. 3. de abstinentiâ Plutarch. in Gryllo. Valla lib. Dial. c. 9. Vallesius in sacrâ Philosophiâ. Libavius lib. de intellectu bestiarum parte primâ singularium. Iustus Lipsius in suis Epistolis & alij. Sed sciamus distinguendum esse inter veram rationem & umbram rationis, bestiarumq. operationes tantum nat. avaroq. quandam rationis humanae fieri.

X L I I I .

Deniq. aliud pomum ējdos nobis quidam circa hanc assertiōnem in medium proīciunt, dum contendunt hominem vi artis magie in bellum posse transmutari. Et certè si hoc probatum reddiderint, tum manifesto periclitabitur forma nostra; siquidem forma, maximē autem essentialis, talis est, que mutari nunquam potest, salvo manente subiecto.

X L I V .

Testantur autem lunae, Dœmīav (licet sic unico vocabulo omnes ejusmodi metāphorās appellare) imprimis Bodinus in suâ Dœmoniâ & Camerarius in Medit. Histor. centuriâ 1. c. 72. ut & Olaus Magnus in historiâ suâ Septentrionali, quosdam homines quotannis lupos fieri, & certis temporibus ad pristinum habitum redire. Quid hic respondebitus?

X L V .

Sed abst hoc statuamus, sic enim Dei potentiam, quâ solus creaturas suas mutare potest, Diabolo attribuēmus, & ex Sathanâ Deum faceremus, quod quam blasphemum foret, nemo est, qui non videt. Ita vero Phœbus ejusmodi optimè declinabimus, si respondebitus, hominum oculos Magorum prestigiis ita effascinari, ut tales videantur, illamq. luxuriam dœmīav cum Cœlio Rhodigino lib. 27. cap. 12. melancholicam affectionem, & atra bilis abundantiam nominamus.

XLVI.

Concludimus ergo tandem cum B. August. lib. de spiritu & anima c. 20. hanc transmutationem non concedi posse, quoniam Dæmones naturas non creant, sed aliquid tale facere possunt, ut videantur esse, quæ non sunt.

XLVI.

Paucis etiam de immortalitate animæ agendum, siquidem & in hac non per omnia consentiunt Philosophi. Inter alios verò maximè Plinius lib. 7. Nat. hist. c. 35. animam mortalem statuit sic inquisens: Omibus a supra die eadem, quæ ante primum: Nec magis a morte sensus ullus, aut corpori, aut animæ, quam ante Natalem.

XLVIII.

Nos tamen, quæ Evangelij lumine illuminati sumus, & quibus ut cum Poeta loquar:

E meliore luto finxit præcordia Titan,
firmiter statuimus animæ immortalitatem, evidentissimis sacra-
rum literarum testimonis adducti.

XLIX.

Queritur jam ulterius, anne immortalitas animæ lumine
naturæ cognosci posít? Scotus & sent. dist. 43. quest. 2. ut & Cajetanus Cardinalis in Expos. suâ super 3. cap. Eccles. constanter negant,
asserentes, immortalitatem animæ nostræ, nec ab ullo Philosopho de-
monstrativè probatam esse, nec posse naturaliter probari.

L.

Sed hoc manifestè falsum esse, vel pauculis hiscrationibus pro-
batum dabimus. 1. Animæ rationalis est substantia spiritualis, per se
subsistens. Ergo est aeterna, à posteriori, non à priori. Ratio consequen-
tia nota est; quia & Angeli sunt immortales. 2. Conscientia scelerum,
qua nemine accusante hominem torquet & cruciat, haud obscure in-
nuit immortalitatem animæ. 3. Quicquid obtinet actiones à corpo-
re distinctas, id est, ab organo corporeo non dependentes, illud unā

cum

cum corpore non interit. At anima rationalis in cognoscendo non utitur corporeo organo. Ergo non interit. Major probatur, ut res habet ad operationem, ita quoque ad essentiam.

L.I.

Et quorsum pulcherrima ista Ethnicorum Philosophorum monumenta de immortalitate animæ scripta? An non Cicero i. Tusc. quæst. eleganter probat immortalitatem animæ à providentia divinâ? Cum Deus sit Iudex justus, inquit, sequitur, alium animarum statum expectandum esse, in quo bonis bona & malis mala eveniant, quod in hoc Mundo non semper accidit.

L.II.

Aristotelem quod attinet, quamvis aliqui negare ausint, eum certi quipiam de immortalitate animæ statuisse, Iustinus scilicet in sua Par. ad Gent. Plutarch. de placit. Philo. Pomponatius de immort. An. Portius de Mert. hum. quibus omnibus ansam dubitandi præbuit Alexander qui primò Aristotelii hoc ipsum affinxit.

L.III.

Hac autem in parte Aristotelii injuriam fieri omnino asseveramus, dum plurimis in locis intellectivam animam vocat divinum quipiam ab omni materia separabile & eternum, ut 12. Metaph. text. 17. i. de part. Ani. c. 1. lib. 1. de Anim. text. 66. & 2. de An. text. 21. 3. de An. T. 20.

L.IV.

Hic aliqui videntes, immortalitatem animæ rationibus philosophicis probari posse, ulterius pergentes, etiam resurrectionem carnis lumine naturæ & cognosci posse affirmarunt, inter quos est Pacius in comm. de An. lib. 1. c. 5. & lib. 3. c. 6. sic ratiocinans. 1. Nulla potentia in eternum frustranea esse potest. At in animâ separatâ manent potentia. Ergo sequitur, animam aliquando rursus cum corpore conjungendam esse. 2. Forma juxta essentialē respectūm periret ad suam materiam. At anima est forma. Ergo respicit suam materiam.

Verum

L.V.

Verum respondemus, Pacio non fuisse difficile ita argumentari, quippe fide Christiana imbuто: Ethnicis vero difficilimum siquidem ut ait subtilis Scalig. Ex 307. s. 29. semel corruptum non posse redire norunt, & a privatione ad habitum non dari regressum in individuis.

L.VI.

Non immerito queritur etiam de sede animae rationalis, siquidem variae de hac sunt opiniones, uti preter alios refert D. Gregorius Nyssenus in lib. de Opif. hom. c. 12. Lactant. lib. de Opif. Dei c. 16 Tert. lib. de An. & Cic. lib. I. Tusc. quest.

L.VII.

Qui enim animam in toto corpore non esse statuunt, si vel in capite esse inquietunt veluti in arce, ut Plato; in vertice, ut Xenocrates; Hippocrates in cerebro; Herophilus in cerebri concavo; Strato & Erasistratus in membranulis; Aly in superciliorum meditullio; Parmenides & Epicurus in toto pectore; Philo Indexus, D. Hieronymus & Stoici in corde; Diogenes in arteria cordis concavâ; Aly in abdito quopiam loco, è quo quasi aranea pro rerum opportunitate per totum corpus discurrat.

L.VIII.

Nos tamen cum reliquis senioribus Philosophis eam tuebimur sententiam, qua est, quod anima intellectiva sit tota in toto, si totum sumatur pro toto perfectionali; perficit quippe anima rationalis omnes partes: principaliter quidem & radicaliter est in corde, per participationem vero est in toto corpore.

L.IX.

Nec obstat, quod anima non ubi g[ra]tia ratione inveniatur, siquidem inhibet tantum operatur, ubi habet organa aptissime ad operationes suas disposita; nihilominus tamen in toto corpore secundum essentiam esse potest, licet non secundum operationem, aut eo modo, quo nutritiva est.

Agerc

LX.

Aggrederemur jam controversiam illam, ut nobilissimam ita & difficilissimam de ortu animæ rationalis, nisi ea haud ita pridem in peculiari quadam ex virtute uberrimè fuisset ventilata, & pro dignitate excussa; ideo sine ulteriori molestia, nisi eandem cramben bis coquere velimus pluribus de ea agere nolumus, mentem nostram de hac unâ & alterâ thesi exposituri.

LXI.

Statuimus autem, animam hominis non infundi cœlitus & immediatè à Deo, sed propagari unâ cum semine pér traducem à parentibus, sine tamen ullâ Parentum animæ diminutione, sicuti lumen de lumine accenditur salvâ manente luminis essentiâ.

LXII.

Modum verò quod attinet, & an à Matre potius propagetur anima, quam à Patre, uti quidam volunt, fatemur ingenuè nobis illum esse incognitum, & cum Scalig. dicimus Ex. 30.7. s.29. Ulteriorem disquisitionem morosi atq[ue] sat agentis animi esse. Humanæ enim sapientiae pars est, quedam quoq[ue] animo nescire velle.

LXIII.

Dùm ergo animam per traducem propagari contendimus, cras sum illud μέλει τούχωστος Platonicæ figuramentum propriâ futilitate concidit, nec est, ut oleum & operam insumamus in illius refutatione.

LXIV.

Vt & illud Averrois amandamus, qui statuebat unam numero animam rationalem esse in omnibus hominibus (nam quod non una sit specie, de hoc nunquam controversum est) cui se opponit Pererius lib.6.c.23. Et hoc de anima rationali in genere dicta sunt.

LXV.

Restat nunc ut ducamus, id est, facultates animæ nostra paucis contemplemur, quæ duæ sunt, Intellectus & voluntas. Nam licet anima nostra quoad propriam essentiam simplex sit, & indivisi-

bilis, nihilominus tamen ratione diversarum ejus operationum & objecti, distinctio illa juxta potentias in scholis Philosophicis recepta est.

LXVI.

Intellectum definimus facultatem animae rationalis, res intelligibles intelligentem, percipientem, atque dijudicantem.

LXVII.

Objectum intellectus est non tantum sive intelligibile, tam singulare quam universale sub se comprehendens. Circa hoc autem duae potissimum sece dubitationes offerunt.

LXVIII.

Prima est an singularia possint cognosci ab intellectu? Negativa placet Philopono & Alexandro lib. 3. de An. c. 18. Themistio ibidem: Mirand lib. 33. de Evers. certam. f. 13. & alijs, sic ratiocinatibus. 1. Philosophus pa& sim intellectui universalia, sensib. singularia adscribit. 2. Inter potentiam & objectum debet esse proportio. At inter immateriale, quale est intellectus, & inter materiale, qualia sunt singularia, nulla datur proportio.

LXIX.

At nobis affirmativa verisimilior videtur, ut & multis Peripateticae Philosophiae sectatoribus alii ob hanc potissimum rationem; quia Arist. 1. Metaph. 2. ait, maxime universalia esse difficultia cognitiu, quia sunt remota a sensibus, si igitur esse remotum a sensu, facit aliquid difficile cognitu, & esse propinquum sensui, ut dicitur 1. post. t. 5. reddit facile cognitu, cum singulare sit propinquissimum sensui, erit maxime & primo notum nobis. Posset hac nostra assertio pluribus rationibus stabiliri, sed non est hujus loci.

LXX.

Ad refutanda breviter argumenta dicimus, distinguendum esse inter objectum commune quod tam singularibus, quam universalibus competit; & proprium, quod tantum universalibus; & hoc ad primum. Ad secundum dicimus, proportionem non impedire, quo

mi-

minus singularia intelligantur, imò dicimus immateriale posse
teriale intelligere, sicut Deus intelligit omnia singularia.

LXXI.

Altera dicitur est, quā dubitatur nūm universale, vel singulare primō cognoscatur ab intellectu? Thomas i. part. quest. 86. art. 1. non singulare sed universale statuit cuius patrocinium suscipit Iavellus lib. 7. Metaph. quest. 16. art. 1.

LXXII.

Contraria sententia magis probatur, ut & Scalig. Ex 307. f. 21. & Zab. lib. de ord. intell. c. 5. pro declaratione controversiae notanda est distinctio illa, quā distinguimus cognitionem in confusam & distinctam. Confusa cognitionis singularia, distincta uniuersalia.

LXXIII.

Subdividitur intellectus pro diversitate modi intelligendi in agentem & patientem. Hic mundus in se nihil inscriptum habens omnium rerum formas & species recipit: Ille vero species à patibili intellectu receptas actu intelligi facit.

LXXIV.

Sciendum autem hīc, nos non ponere distinctionem quandam realem, ita ut alius sit intellectus agens secundum substantiam à patiente; sed distinctionem hanc provenire ex diverso tantum modo operandi. Nihil enim impedit in rebus incorporeis unum & idem agentis & patientis officium obtinere.

LXXV.

Manifestum hinc est, egregie hallucinari illos qui pro intellectu agente substantiam separant, ut Avic. 9. Metaph. c. 4. aut ipsum Denum introducunt, ut Alexander de intellectu agente.

LXXVI.

At mirum forsitan videbitur quod intellectus passionem adscribam, cum sit immaterialis, & passio ex materia tantum sit & de illa praedicari possit. Verum ille statim mirari desinet, si intellexerit, quo modo passionem hoc loco intellectam velimus, nisi mirum

ita quod in potentia ad aliquid recipit illud ad quod erat in potentia, & hoc modo rectissime attribuimus intellectui.

LXXVII.

Intellectus agens juxta diversas operationes suas dividitur in simplicium apprehensionem, quā simplices rerum apprehendit ac diuidat notiones; compositionem; quā res plures colligit, vel disjungit. Et diuinay sive Discursum, qui vel ex compositis vel diversis demum ratiocinatur.

LXXVIII.

Habetur apud Philosophum 3. de Ani. T. 70. alia intellectus divisio in Theoricum & Practicum. Geogenius nominat qui tantum intelligit & ratiocinatur propter cognitionem, unde ejus finis est tantum scire quid nimirum verum, quid falsum sit. Exclusor vero qui ratiocinatur propter opus, ut nimirum efficiat id, quod sibi videtur bonum.

LXXIX.

Circa hanc igitur divisionem non immixtō queri potest, an illa sit realis, vel rationis; & an intellectus practicus differat à voluntate? Posterior assert Thomas parte, 1. quest. 79. Art. 11. quod nimirum rationalis tantum distinctio ponenda sit, intellectusq; practicus à voluntate plurimum differat.

LXXX.

Contraria vero sententia magis probatur Peripateticis, qui intellectum practicum nihil aliud quam voluntatem esse dicunt. Cui enim conueniunt proprietates voluntatis, illud à voluntate realiter non differt. At intellectui pratico præter alias operationes etiam hac convenit, que est propria voluntatis videlicet persecutio vel fuga: Idem ex Aristotele colligitur, qui in declaratione intellectus practici acquiescit.

LXXXI.

Practicum intellectum à voluntate nihil differre jam satis supergaudivimus, restat nūc ut videamus an speculatorius intellectus

av-

à voluntate differat. Negativam tuerit Durandus, i. sent. dist. 3.
quest. 4. sed falso.

LXXXI I.

Nos affirmativam tanquam veritati magis consentaneam
cum plerisq; senioribus Philosophis & Peripateticis defendemus. i.
Actus diversi indicant diversas potentias. At aliud est vōces, aliud
Bēnētis. Ergo. 2. Aliud est verum quod intellectui subiicitur, aliud
bonum, quod voluntati: 3. potentia motiva est diversa ab ea quae mo-
vetur. Voluntas movet intellectum, & intellectus dirigit vo-
luntatem.

LXXXI II.

Voluntas est animæ rationalis vis, quā homo ea quæ ab intelle-
ctu apprehensa & judicata suēre, vel eligit, vel aversatur.

LXXXI V.

Objectum voluntatis est bonum & malum, & inde actiones
duæ Velle & Nolle. Vult & intelligit ea, queratio, sive intellectus
tanquam bona, approbat. Non vult & fugit, quæ intellectus tan-
quam mala improbat.

LXXXV.

Cernitur hinc, hominem esse liberissimum agens, & habere libe-
rum arbitrium in rebus politicis, non verò spiritualibus, alias nihil
homo differret à brutis, qua semper uno & eodem modo agunt.

LXXXVI.

Tandem nobilis illa questio paucis tangenda, quā queritur, utra
facultas sit nobilior, intellectus an voluntas? & certè perplures sunt
utriusq; sententia Fautores & Patroni.

LXXXVII.

Voluntatem intellectu nobiliorem esse, non pauci sunt qui affir-
mant, utpote Scotus in 4. dist. 49. quest. 4. Alexander Alensis 3. par.
quest. 80. Memb. 1. Albertus Magnus in 1. dist. 1. quest. 14. Bonaven-
tura: Gabriel Biel & alij. Nec desunt his rationes quibus hanc suam
sententiam probant, quas brevitate vici non recensemus.

LXXXVIII.

Contraria verò sententia, quod nimirūm intellectus sit p̄fere-
rendus voluntati, itidem non paucos habet Patronos: verior judica-
tur ob validissimas rationes, quibus constringere potest Adver-
sarios. 1. Quia habitus intellectus nobiliores sunt habitibus
voluntatis uti pluribus demonstrat Pererius lib. 1. Phys. cap. 4.
2. Movens dignius est eo, quod moveatur. At Intellectus est mo-
vens, quia moveat voluntatem; nihil enim nisi cognitum volumus,
& ignoti nulla cupido est. 3. Verum bono est simpliciter p̄fstanti-
us, quia divinius aliquid est & magis abstractum.

LXXXIX.

Pro determinatione hujus controversiae paucis notandum, quod
haec facultates dupliciter considerari possint; uno modo per se, &
sic Intellectus per se & simpliciter dignior est voluntate, altero re-
spective, & sic de utraq; facultate nihil certi definire possumus.
Nam modo voluntas, prout hoc, vel illud respicit, modo intellectus
p̄fstantior esse videtur. Sed satis de his, ne falcam nostram Physi-
cam in Ethicorum messem mittamus.

X C.

Et hac habuimus, que de animā rationali pauculis Theſibus in-
cludere voluimus. Quod superest, Deo ter optimo maximo immor-
tales agimus & habemus gratias, qui nobis tām splendidum animæ
rationalis donum conceſſit, quo non tantum à brutis differimus, sed
etiam ad altiora aspiramus, is suam nobis largiatur gratiam, ut tan-
tum ad gloriam nominis ipsius hoc tām p̄fstantissimo dono
ut amur, cui etiam sit laus, honor & gloria in
infinita ſecula.

S O L I D E O G L O R I A .

AD

*S Y M P A T R I O T A M , E T
AMICVM SVVM MELLITVM,*

*Dn. ERASMVM ZOL-
NERVM,*

*Sacrarum literarum & Philosophia stu-
dii deditum,*

De

*Animâ rationali publico certa-
mine luctantem.*



*Æpe adeò subiit dubiam miratio mentem,
Nosseq; non rarò mens animusq; fuit:
Cur toties varia librorum indagine septus
Protraheres, lychno pervagilante, diem!*

*Scilicet in Musas, quo flagras, ardor honestus,
Atq; tui concors nominis ansa, jubent.
Arcanos Sophiae nodos de ponte cathedrae
Contortos dubijs exfoluisse plicis.*

*Aggredere hoc, pro Marte tuo proq; in dole Musæ,
Quam colis, invicto robore mentis, opus.*

*Atq; Tui exemplum Genitoris ERASME secutus,
Pteridum donis favavibus usq; vige.*

*Usque adeò pulchrum est, vestigia nota priorum.
Et legere, & summâ non sine laude sequi!
Nec minus ingenuum est, titulos virtutis avitæ
(Quâ pote) constitui nobiliore loco.*

*Non moris, sed amoris ergò deproperabat Iohannes
Vilkofér, Ratisbonensis.*

THE MANTO OF THE CHIEF
OF THE HOUSE OF HANOVER
SIR JOHN LEWIS HENRY
LAWRENCE
MAY 1783
BY
EDWARD GIBBON
WITH A HISTORY OF THE
REIGN OF JAMES II
AND THE
REVOLUTION OF 1688
IN
A
SERIAL
WORK
IN
THREE
VOL.
VOL. I
1783
VOL. II
1784
VOL. III
1785

ULB Halle
.003 792 609

3



05 A 2401

Von

Farbkarte #13



B.I.G.

DISPUTATIO
De
ANIMA RATIONALI

Deo ducente & docente
Consensu amplissimi collegij Philosophici in inclita Wittenbergensium Academia publicè proposita.

PRÆSIDE

M. ANDREA HAFNERO, Ratisponensi

RESPONDENTE
ERASMO ZOLNERO
RATISPOLENSI

*Habebitur disputat. ad 1. Mart. in Auditorio Majore
Theologorum horis à sextâ matutinis.*

WITEBERGÆ,
Typis Martini Henckelij, Anno Christi

M. D C. VI.